

3687  
DISPUTATIO PHYSICA II.  
**DE CEREVISIA,**  
**QVOAD CAUSAS IN-**  
**TERNAS, MATERIAM ET**  
Formam, consideranda.

*Quæ*

Jov A duce & auspice Jov A.  
*P R A E S I D E*

**M. THOMA SAGITTARIO,**  
**GYMNASI ELISABETHANI, QVOD EST**  
Vratislaviæ, Rectore & Professore publico,  
Scholarumq; cæterarum, qvæ ibid.  
Inspector,

*RESPONDENT&*

**JOANNE HERTLINGIO,**  
Namslavio - Silesio, ejusdem  
Gymnasi alumno,  
*publicè*

In d. Gymnasi auditorio superiore die 23.  
Jun. hor. à 7. ad 10. promeridianis  
habebitur.

---

*VRATISLAVIAE,*  
Typis Baumannianis. Anno 1617.

Diaetet.

160,20

Dig. dñit

182

MAGNIFICIS, STRENUIS, NOBILISSIMIS,  
prudentiâ & autoritate amplissimis  
Viris

DN: ADAMO DOBSCHÜTZ,  
in Silmenaw, Ducatus Wratislaviensis Præ-  
fecto, & Senatus seniori meritissimo.

DN: CHRISTOPHORO POLEY,  
in Thiergarten Senatori ejusdem Reipublicæ  
Wratislaviensis eminentissimo, & Scholarum  
ibidem Præsidi dignissimo.

*Nec non*

Excellentissimis, Consultissimis, Cla-  
rissimis Viris

DN: CHRISTOPHORO HEI-  
NISCHERO J. U.D. inclutæ curiæ Wratisla-  
viensis Syndico solertissimo.

DN: JOANNI GOLDMANNO,  
ejusdem Scabinographo fidelissimo.

*Fautoribus & Patronis suis  
plurimum colendis*

*In studiorum testimonium & debitæ  
observantiae monumentum*

*has suas primitias  
dicat, offert, consecrat*

*Respondens*

**JOHANNES HERTLING,**

• • •

•

## THESES I.

**C**AUSÆ RERUM EXTERNAE, SOLÆ AD PRODUCENDUM EFFECTUM NON SUFFICIUNT.

2. Sunt enim semper extra res constituendas.
3. Cum sit (anima mundi) efficiens generationis erit necessariæ extra generata, inquit Scaliger Exerc. 6. sect. 1.

4. Finis nihil componit, cum sit causa externa, inquit Taurellus 2. Alp. Cæsar. q. 1. n. 11. fol. 126.

5. Et finis eius rei, cuius est finis, non ingreditur essentiam, inquit item Scalig. Exerc. 307. sect. 27.

6. At nihil quod externum res potest constituere.
7. E. nec per se solum easdem producere.
8. Nos Disputatione nuper a Cerevisiæ causas EXTERNAS excusimus.
9. E. nec illæ solæ ad producendum hoc effectum sufficerint.
10. Imò nec intellectui nostro satisficerint.
11. Ille enim quod in re invenit, statuit.
12. At & præter externas causas ille in Cerevisiæ internas invenerit.
13. E. & illas è re erutas statuet & constituet.
14. Sequamur & nos ductum Naturæ.
15. Et iam CÉREVISIÆ CAVSAS INTERNAS pro nostri proposita ratione excutiamus.

16. ILLÆ sunt MATERIA & FORMA.

17. Materia namq; & forma substantiæ partes sunt atq; elementa. Scalig. in 2. Arist. de Plant. fol. 87.

18. Materia enim ex qua fit compositum.

19. Forma per quam fit.

20. Hinc materia est perfectibilis, forma vero perfectiva inquit Scalig. Exerc 307. sect. 27.

21. Ita igitur ex materia & forma unum fit. Scal. d. 1.

22. Quia sunt causæ internæ mutua coordinatione inter se ultro citroq; dantes atq; accipientes, sua utraq; modo aliquam perfectionem. Scal. d. 1.

23. Etenim forma id agit, ut materia sit hoc aliquid. Scal. d. 1.

24. Materia videtur agere, ut forma existat. Scal. d. 1.

25. Non enim esset unum ex principiis, nisi aliquid faceret. Scal. d. 1.

26. Sine ea sane forma non potest existere. Scal. d. 1.

27. Et ipsum existere, aliquid est. Scal. d. 1.

28. Id igitur ipsum, quod est existere, præstatur à materia. Scal. d. 1.

29. Et tamen forma hac nobilior: Scalig. in d.lib.2. Arist. de plant.  
fol. 87.

30. Idq; tum RATIONE MATERIÆ, tum RATIONE COMPOSITI.

31. RATIONE MATERIÆ. Nam ut proficiscitur à Datore: ita das  
ipsa materiæ, ut sit hoc quiddam, & quasi facit eam. Scalig. d.l.

32. Quasi facit, dico. Propterea quod materia est per se Ens. Scal. d.l.

33. Est enim substantia per se, etiam sejuncta advenientis formæ ratione.  
Scal. d.l.

34. Non igitur esse facit eam SIMPLICITER; sed ut sit hoc, aut hoc sub  
se, id est, sub forma quæ illi est adventitia. Scal. d.l.

35. Nam materiæ ipsi est suum τὸ ήν εἶναι, quo non est forma.  
Scalig. d.l.

36. RATIONE COMPOSITI. Forma enim dat essentiam. Scalig. 4. de  
caus. lat. ling. c. 91. pag. 211.

37. Sui ipsius communicatione. Goclen. i. Instit. Log. pag. 96.

38. Vnde φύλετος φύλετος vocatur. Eleganter Scaliger  
Exerc. 307. sect. 12. 14. & 39.

39. Et principium individuationis recte statuitur. Quo defusus no-  
stris in Physicis Exerc. 19. th. 5.

40. Hinc forma dicitur esse, quæ dat esse rei.

41. Plenarium puto & perfectum plane.

42. Nam & abhinc materia non omnino potest excludi aut secludi.

43. Materia est subjectum, ex quo cum forma totum constituitur in-  
quit Philippus lib. 2. Phys. pag. 218.

44. Materia quoq; ipsa non nihil efficere videtur, puta, existentiam dare  
formæ inquit Scalig. in d. 2. Arist. de plant. fol. 87.

45. Alioquin inter causas non esset digna recenseri, si pateretur tantum:  
Scal. d.l.

46. Causæ enim quidditas perfectio est. Scal. d.l.

47. Est autem perfectio totius à parte. Scal. d.l.

48. Pars autem etiam materia est. Scal. d.l.

49. Cujus & hic perfectio, hoc esse, quod ut sit factum est Scal. d.l.

50. Forma quidem dat hoc, sed non absq; materia. Scal. d.l.

51. Hæc perfectio φύλετος est & vis aliquid faciendi. Sca-  
lig. d.l.

52. Et

• • .

52. Et materia (suo modo) ἐνέλεχeta est, qua se substernit ita formæ, ut eam existere faciat, quæ seorsum non exstet, sed sit in potestate efficientis. Scal. d.l.

53. Exemplum appositum adducit Scaliger d.l. quod videas. Nos jam ad magis specialia properamus.

54. MATERIA CEREVISIÆ est Tum ORDINARIA & VVLGO RECEPTA, Tum EXTRAORDINARIA, & velut ACCESSORIA.

55. ORDINARIA est & HVMIDA & SICCA.

56. HVMIDA est aqua.

57. Ex aqua enim Cerevisiam coqui vel pueri etiam norunt.

58. Nescio an & finem & usum seu cur ex ea fiat, norint.

59. Ille conspicitur ET DVM FIT, & DVM FACTA EST Cerevisia.

60. DVM FIT. Mixtio materierum hic ita fieri debet, ut non tantum illæ uniantur. Sed vel maximè etiam ut vires & facultates commisceantur.

61. Idq; pro potu.

62. At qui tandem sicca omnia ita miscebuntur, ut vires etiam una cum illis coeant?

63. Siccum solum terminari nequit à qualitatibus activis, imprimis hic calore.

64. Quia eius partes non cohærent, nec uniuntur.

65. At debent cohærere & uniri, siquidem vera fieri debet mixtio.

66. Est enim μικρῶν μηδῶν αὐλοιωθέντων ἔνωσις. Arist. I. de ortu & inter. c. 16. corr. 90.

67. Vel, ut placet Scaligero Exerc. 101. sect. I. est motus corporum minimorum ad mutuum contactum, ut fiat unio.

68. Eorum propriè erit mixtio, quorum extrema cum aliorum extremis unum fieri possunt. Scal. d.l.

69. Et hæc humida, seu ut loquitur Scalig. d.l. liquida sunt.

70. Horum enim ratio est alieno fini termino. Scal. d.l.

71. Hinc facile eveniet, ut si duo liquida sese contingere incipient, unum tandem fiant. Scal. d.l.

72. Quia suis terminis coarctari nequeunt. Scal. d.l.

73. Hinc vides, Humida seu liquida tantum coire posse, & vere uniri.

74. Non tamen omnia, quod rectè præcidit Sophistis effugium. Scal. d.l.

75. Nec tamen sufficit humidum.

76. Recipit quidem facile terminos alienos.  
77. At eosdem per se non retinet.  
78. E. & siccum requiritur.  
79. Sine hoc enim termini per humidum recepti conservari non possunt.  
Quod fusius explicat Zabarella lib. de mixtione, & tandem libris  
de mixti Generat. & Interitu passim.  
80. DVM FACTA; Hic VT SITIM EXSTINGVAT HVMECTANDO.  
81. Hæc enim ad sitim extinguendam adhibetur.  
82. In siti enim est arefactio.  
83. Hinc suæ Venarum, quæ & ipsa magis arefacit ventriculum &  
eius orificium, quod inquit Philippus Lib. de Anim. Tit. Quomodo  
fit nutritio in corpore humano.  
84. At natura arefacta indiget irrigatione. Phil. d. I.  
85. E. & hic.  
86. Imprimis cum ipsa impensè hoc appetat.  
87. Est enim sitis appetitio frigidi & humidi. Philip. d. I.  
88. Vel ut loquitur Fernel. lib. 6. Physiol. c. 12. pag. 276. est humidi fri-  
gidig[er] desiderium.  
89. Hæc privatio non potest amoveri, nisi per aliquam contrarii positio-  
nem, vel etiam additionem.  
90. Hoc est humectatio facta per frigidum & humidum.  
91. Hoc Cerevisia habet ab aqua.  
92. E. in cerevisia coquenda recte, immo & necessario, adhibebitur aqua.  
93. ET VT SIT VEHICVLVM CIBI DEDVCENDO.  
94. Cibus enim per se est solidior. Philip. d. I.  
95. Est & non raro aliquantò calidior.  
96. Hinc arefactioni isti non potest satisfacere.  
97. Multò minus propter soliditatem & corpulentiam majorem pene-  
trare.  
98. Requirebatur ergo ὁχημα quoddam, quod faciliter solidiora  
partes deferret.  
99. Hoc est aquæ lubricitas, quæ rebus transportandis commixta, vel eti-  
am adhaerens, partes alendas, velut rore quodam irrigat.  
100. Et sic iterum recte in apparanda cerevisia, aqua adhibebitur.  
101. Melius - peius, prout ipsa est.

1024

• • .

102. Nam & pro aquæ conditione qui Cerevisiam variari ignorat, aquam  
similē cœnūt bibat, dignus est.

103. Hæc (pro hoc usū) est VEL DESCENDENS EX ALTO, VEL IN-  
TERRA SESE CONTINENS.

104. DESCENDENS EX ALTO, est & PLVIALIS &, ut ita loquar,  
NIVALIS.

105. PLVIALIS levissima, dulcissima & tenuissima. Hippocr. lib. de  
aer. aq. & loc. confer Cardanum lib. 6. de rer. variet. c. 21. fol. 118.

106. Et hinc ut optima est: sic & huic nostro laboratorio, vel maximè con-  
venire videbitur, modò semper in promptu sit.

107. Facile enim putrescit, & sic minus conveniens redditur. Hippocr.  
d. lib.

108. Inter pluviales tamen ipsas ipse Hippoc. lib. 6. Epid. sect. 4. cōt.  
9. discriminē statuit, quod vide.

109. NIVALIS pro minus commoda potui habetur. Hippocrati d. I. de  
aer. aq. & loc.

110. Clarum enim & quod bonum, inde per frigus ejectū esse credibile est.

111. Hinc illa inter non adeò bonas aquas à Medicis recensetur.

112. E. nec hic magnopere nobis profutura.

113. Nisi cum aliis mixta suam repetat integritatem.

114. Nihil enim novi si præviis alterationibus ad illam tandem aspiceret.

115. Et sic etiam sine noxa hic adhibebitur.

116. IN TERRA SE CONTINENS est vel CVRRENS, vel CONSI-  
STENS.

117. CVRRENS est & FONTANA, & FLVIALIS.

118. FONTANA pro locis, ad quæ currit, etiam variatur. Hippoc. d. I.  
Joseph. Quercetanus Diætet. Polyhisto. c. 7. pag. 218.

119. Ad Orientem quæ tendit pro optima habetur.

120. Quo in tamen & alia perpendenda, quod norunt Medici.

121. FLVIALIS & multis suspecta est.

122. Melior tamen si celerius currat, & cum fontibus vivis & perennibus  
in decursu misceatur.

123. Hinc enim non parum bonitatis sibi acquirit.

124. CONSISTENS est PVTEALIS & STAGNANS.

125. Neutra magnopere grata.

126. PVTEALIS ideo: Quia frigida est admodum & valde terrea, minus  
digestioni accommodata.

127

127. STAGNANS ideo: *Quia propter motum denegatum torpet & squalet, & sic situm q. quendam sibi contrahit.* Anton. Gazi in florida Corona cap. 253. fol. 132.

128. Sed tamen & in hisce sœpè Naturam vincit ars.

129. Et motum aliquem sœpius hauriendo inducit.

130. Vel alia quadam ratione pravitatem istarum corrigit, ut cœteris partibus optimæ etiam hinc coquantur cerevisiæ.

131. Multa paucis complexus est Colerus part. I. Oecon. cap. 4. fol. 43. ibi: Das beste Wasser zum Bier ist Bornwasser / fließend wasser / Regenwasser / vnd bisweilen auch das Wasser das aus den Seen geschoßt wird / sonderlich wenns fein lauter vnd rein ist / vnd zu trincken taugt.

132. Ant. Gazi d. l. meliorem esse putat aquam, quæ super lutum fluit, quam quæ super petras.

133. Adjecta ratione: *Quia lutum mundificet eam, & auferat ab eares extraneas sibi admixtas, quæ sunt in ea. Num recte? Videbimus.*

134. Sit qualis - qualis, propterea decoctio adhibetur, ut illa, si quæ adest, malitia vel retundatur, vel etiam tollatur.

135. Decoctio rectificat aquæ malitiam, inquit Gazi d. l.

136. Aqua enim cocta minoris est inflationis & velocioris descensionis quod inquit iterum ex Avicenna 2. prim. Dr. 2. c. 16. & Rase in 3. Almansor. c. 4. Gazi d. l.

137. Et hoc addo: Aquæ, quæ per se puræ, sœpè ex terra, quam permeant, novam sibi acquirunt & assūcunt qualitatem.

138. Bonam - malam prout natura illius.

139. Terra sigillata, cuius in vicinia habemus exemplum, hic maxime commendatur.

140. Et de causa illæ etiam effectus testabuntur.

141. Imò & ipsius cerevisiæ sapor & color.

142. Aut si mavis, ipsa per artem & ignem exploratio.

143. SICCA est FRVMENTVM & LVPVLVS.

144. FRVMENTVM est modò HORDEVM, modò TRITICVM, modò & AVENA modò, sed rarius filigo.

145. HORDEVM frigidum est, idq. in primo gradu, ut placet nonnullis. Vide Jac. V Veckerum lib. I Medic. part. 3. fol. 122.

146. Vnde & hoc refrigerandi, exiccandi, & moderate abstergendi vim habet.

147.

147. Est enim & hoc per se siccum, idq; in primò etiam gradu. VVeck.d.libro.
148. Quo de & hordei decoctum testabitur, quo saepius utuntur Medici. Vid. Ioan. Langiū lib.3. Epist. Medic.3. pag.976. VVeck.d.l.f.166.
149. Interim tamen benè nutrit.
150. Nam succum tenuem, & non malum generat. VVeck.d.l.fol.122
151. Id quod etiam de ptisana ex hoc facta affirmat Dioscorides lib.2. c.78.fol.122.
152. Hic tamen & inter hujus genera probe distinguendum erit.
153. Nec enim aequè semper bona, quod ex densitate, plenitudine & colore etiam cognoscet.
154. TRITICVM est calidum in primo gradu. VVeck.d.l.fol.120.
155. Moderatum tamen in qualitatibus passivis.
156. Unde optime nutrit.
157. Imprimis si recens sit & perfectè adultum, quod asserit Dioscoridas d.l.2.c.77.fol.120.
158. Propter tamen crassitatem & viscositatem suam non raro obstrunctionem parit. Arnol.de Villano. de Regim Sanit. c.26. Dn. Sennertus lib.4.Instit.Medic.part. I.c.4.fol.758.
159. Quia succum aliquanto lentum generat.
160. Quod tamen & per artem facile corrigitur.
161. AVENA nec hic à quibusdam negligitur.
162. Sed potius flores Cerevisiae adaugere deprehenditur.
163. Est & haec calida. VVeck.d.l.fol.124.
164. Unde & exiccat.
165. Quodammodo etiam nutrit, sed tamen tenuius quam priora. Vid. Dioscoridem d.lib.2.c.80.fol.124.
166. SILIGO & hic rarius adhibetur.
167. Adhibetur tamen.
168. Modum indicat Colerus d.part.I.Oscon.c.4.fol.44.
169. Minus tamen hoc ad negotium videtur esse accommodata. confer. Dioscorid. d.lib.2.c.83.fol.123.
170. Unde & hodie panes inde frequentius conficiuntur.
171. Non mali, ut cum Galeno lib.1.de Alim.facult, c.2, Plinus lib.18.c.9.testatur.
172. Haec suas proprias habent qualitates.

173.

173. Illæ tamen aliter disponuntur.  
174. Ab accessoriis & præviis alterationibus.  
175. Aquæ enim immerguntur, & post nonnihil putrescere permittuntur.  
176. Hinc & nonnihil accedit caloris.  
177. Majus ex torrefactione.  
178. Hæc enim hordei frigiditatem planè tollit, vel certè mitigat.  
179. Tritici verò auget.  
180. Tale enim additum tali facit illud magis tale, ut habet Physicorum axiona.  
181. Imò omnis torrefactio absunit humiditatem.  
182. Hac absunta calor, qui adest, sese magis exerit.  
183. Idem & de cæteris statues.  
184. LVPVELVS, vel etiam lupus salictarius, per se quidem si plantam spe-  
&s, nihil habet hic usus.  
185. Surculi, primum erumpentes, eduntur quidem more asparagorum: Sed  
i coquenda Cerevisia non adhibentur.  
186. Sed demùm huius flores hic sese exhibent.  
187. Illi calidi sunt & siccii.  
188. Vnde & vim incidendi, aperiendi, abstergendi habent præsentissimā.  
189. Hinc mundant sanguinem, & putredinem non secus ac sal, prohibent.  
confer Scalig. Exerc. 87. VVeck. d.l. fol. 133.  
190. Quo & nomine pro cæterarum materiarum proportione, quo plus lu-  
puli adhibebitur, illa etiam cerevisia erit salubrior.  
191. Imò & diuturnior.  
192. Nam Cerevisia imprimis à lupulo durabilitatem accipit.  
193. Cuius etiam vi evanescente, & ipsa Cerevisia corrumpitur. Dan. Sen-  
nertius d.l. fol. 758.  
194. Scaliger d. Exerc. & hic noster. Idcirco, inquit, non solum ad vini  
saporem consequendum, sed etiam ut valetudini consuleretur, ad salubrita-  
tem lupuli admistio fortasse pertinere potest.  
195. Gravius tamen caput ferit, quam quæ minus huius est consecuta, cæ-  
teris tamen paribus.  
196. Unde & Langius d.lib.3. Epist. Medic.3. pag. 976. recte in ca-  
fusui ægroti potum Cerevisiæ ex lupuli salictarii floribus decoctæ, ne sua ex-  
hibitione caput feriret, inhibuit.  
197. Alii pro lupulo adhibere dicuntur chamæpeucen. Qua de Scholia st.  
in Diosc. fol. 500. & 515.
- 198~

• • .

198. Vnde tantum habet balitus , ut bibentes immoderatus ad infaniam  
ferè redigantur, ut refert Placolomus tr. de Natura Cerevis. pag.

72.

199. EXTRAORDINARIA ET ACCESSORIA varia est.

200. Et quidem ex longè pluribus eiusmodi accessio & variatio Cerevisis.  
accidere posset.

201. Quicquid n. alias hanc cum dictis mixtionē subire , & iis aliquam con-  
ferre qualitatem potest: Id & non difficulter pro libitu hic adhiberi posset.

202. Sed non omnia placent, nec profundunt etiam.

203. Hodie quidem prædictis admiscere solent, TVM HERBAS , TVM  
FRVCTVS.

204. HERBAS: Hinc fit Cerevisia ex Absinthio, Salvia, Artemisia, Pu-  
legio, Hyssopo, Rosmarino, Lavendula, Asaro, Origano, Carduo benedi-  
cto, &c.

205. FRVCTVS. Hinc fit ex Baccis lauri, cerasis, fragis, & multis aliis,  
quos jam attingere non sint pagellæ.

206. Gentes quasdam sorborum succo vinum imitatas post Virgilium, te-  
stis est Scaliger d.l.

207. Pomis agrestibus montanos, vascones & cantabros, idem Scal. d.l.

208. Ficubus Mysos, Asiaticos idem Scal. d.l.

209. Americani & illi novum planè potum conficiunt, qui ipsis instar no-  
stratis Cerevisiæ est.

210. Sed tamen hi potus an propriè Cerevisiæ dici possint, non immerit  
dubitatur.

211. FORMA materiae succedit.

212. Nec enim hac caret Cerevisia.

213. Semper enim sub hac materia.

214. Vbicunq; est materia, ibi est & forma. Scalig. Exerc. 101. sect. 1.

215. Et quicquid habet materiam, habet & formam, Timpler. 3. Me-  
taph. c. 2. q. 16. fol. 236.

216. Imò: Forma nihilo magis à materia separata est, quam materia ab  
ipsa. Scalig. Exerc. 5 sect. 1.

217. Paucis: Omne compositum constat materia & forma.

218. Est enim compositum, quia ex partibus suis componitur. Ex Scalige-  
ro Exerc. 307. sect. 27.

219.

• • •

219. At & Cerevisia compositum est.  
220. Sed quæ illa sit recte & directe describere?  
Hoc opus, hic labor est.  
221. Nec mirum: Differentiæ magis latent nos, inquit Philippus lib. I.  
Dial. pag. 46.  
222. Nominatu lapidis, qui quotidie tuis oculis obversatur, formam, &  
Phyllida solus habeto, inquit Scalig. d. Exerc. 307. sect. 12.  
223. Negotibi ullam esse formam nobis notam plenè & planè, nostramq;  
scientiam esse umbram in Sole, inquit iterum Scalig. d. l.  
224. Formarum enim cognitio est rudit confusa, nec nisi per negatōes,  
inquit iterum Scalig. d. l.  
225. Nec hoc mirum: Quia forma per se in sensu non incurrit. Goclen.  
Canon. 17. pag. 161. in Prodromo Lex. Philosoph.  
226. Et: Forma non est in terminis, sed in profundo. Taurel. 4. Alp. Cœl.  
q. 7. n. 15. pag. 760.  
227. Quicquid sit: Tentemus aliquid.  
228. Cerevisia, qua Cerevisia, est opus artis.  
229. Ars non facit substantiam.  
230. E. nec formam substancialē.  
231. E. & hic manet in dispositionibus accessoriis.  
232. E. & in Cerevisia, quoad artem, habebimus, partium Cerevisiæ, seu  
etiam materierum convenientem τάξιν & dispositionem.  
233. Vel si mavis, id quod ex prævia istarum materierum pro natura huius  
dispositione ordinatum emergit.  
234. Si naturam sociam, vel etiam adjutricem spectaveris, mixtionem hic  
fieri deprehendes.  
235. Cerevisia ergo erit mixta.  
236. Ex partibus pluribus jam dictis.  
237. At omnium mixtorum forma est unio. Ex dictis  
238. Et quidem individuorum individualis.  
239. Specierum specialis.  
240. Et sic tandem Cerevisiæ in specie considerata erit talis & talis parti  
zium unio, quæ omnibus communis.  
241. Sed Cerevisiæ v. c. huius Vratislavensis, erit haec, & sic individualis;  
242. Ac proinde huius tantum propria. Cunio.  
243. Hic nobiscum subsiste, & nos tecum.

F I N I S.

Dact. 160, 20